COMMENTARIUS HISTORICUS DE DISCIPLINA IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTI POENITENTIÆ

TREDECIM PRIMIS SECULIS IN ECCLESIA OCCIDENTALI, ET HUC USQUE IN ORIENTALI obſervata, in decem libros diſtinctus.

QUIBUS

Quidquid à Sanctis Patribus in legibus & praxi iſtius diſciplinæ, conſtitutum, derogatum, ampliatum, abrogatum, & quovis modo relaxatum, aut novatum eſt: Quando, quâve occaſione, aut cauſa id factum, luculenter enarratur.

HIS INSERTA SUNT

Quæ Judæi antiqui & recentiores tradunt de Pœnitentia, Confeſſione peccatorum, Excommunicatione, Abſolutione, criminum pœnis, aliiſque ad Pœnitentiam apud eos ſpectantibus.

Ad operis coronidem complures libelli Pœnitentiales, & confeſſionis peccatorum edendæ, Pœnitentiæque de iis agendæ Ordines, Græci, Latini, Hebræi, ex antiquiſſimis variorum ſeculorum codicibus eruti, nunc primùm in lucem prodeunt: Græci & Hebræi Latinitate donati & illuſtrati.

Authore JOANNE MORINO Bleſenſi, Congregationis Oratorii D. N. JESU CHRISTI Presbytero.

ANTVERPIÆ,
Ex Officina FREDERICI à METEREN,
ſub ſigno quatuor Evangeliſtarum.

M. DC. LXXXII.

CUM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.

AUCTORIS
AD
LECTOREM
CATHOLICUM
PRÆFATIO.

In qua exponit quid primario & ſecundariò in hoc opere ſibi propoſuit, quid tamdiu illius editionem diſtulit; quid in eo vitavit, & vehementer averſatus eſt: quid Hæreticum propriè & præciſè conſtituit. Docet quoque generalem Eccleſiæ conſuetudinem, non ſecus ac generalium Conciliorum decreta, obſervandam eſſe, & privata auctoritate ſceleſtè & impiè mutari: Hactenus in Eccleſia inauditum, celebrem aliquem Doctorem omnibus aliis in cauſa fidei eſſe præponendum.

IAm agitur annus vigeſimus quintus cum hujus operis de Adminiſtratione Pœnitentiæ edendi, me publicè reum feci. Ita tunc illius editionem promittebam, veluti materia præformata mihi eſſet in promptu, & fœtus partui maturus. Sic ſcribebam in præfatione, & capite primo libri ſecundi Exercitationum Eccleſiaſticarum quas anno ſalutis CIƆIƆCXXVI. in lucem emiſi. Verùm cum cauſa privata tantulùm me ab editione remoratur, occaſiones variæ graveſque exoriuntur, quæ tempus quod breve credebam futurum, fecerunt longiſſimum. Interim meum de Pœnitentia ſcribendi conſilium amplio, atque in multa de quibus primò non cogitabam, prorogo. Primùm enim mihi ſolùm proponebam Eccleſiæ diſciplinam qualis fuit erga Pœnitentes annis quingentis vel ſexcentis, ex antiquis monumentis quoad poſſem exprimere & explicare. Sed cum olim ſcripta variis temporibus reviſo, & recenſeo, novæ ſuccreſcunt difficultates; novus diſcendi ardor animum ſtimulat, & urit, mihique paulatim perſuadet propoſito me rectè defungi non poſſe, niſi diſciplinam Pœnitentialem ab ipſa origine arceſſitam ad umbilicum uſque perducerem. Ideò carceres quos hiſtoriæ meæ initio præfixeram ſolvere, & ad annum uſque ducenteſimum ſupra milleſimum ſubmovere, tandem apud me decerno. Cum autem ſcripta Sanctorum Patrum & Conciliorum canones propter ſummam brevitatem qua Pœnitentiæ ritus deſcribunt, aculeos animo & ſcrupulos nonnunquam injicerent, mihi viſum eſt antiquis Pœnitentialibus & Confeſſionis edendæ ordinibus eos evelli poſſe, ſi aliquos nanciſci quoquomodo daretur. Libellos igitur ejuſmodi in antiquis

rium duximus. Tibi igitur perſuadere maximè velim id quod eſt veriſſimum: De his omnibus quæſtionibus me tantùm diſputare probabiliter, nihil aſſerere; facilè credere me falli potuiſſe, & ſæpiſſimè falſum eſſe. Tantopere abſum ab eorum confidentia, qui mores hos inter mortuos renovare vellent! Cum enim res ſint antiquiſſimæ, obſcuriſſimæ, maxima ex parte obſoletæ; & labente tempore diverſiſſimæ obſervationes ſæpius iis inductæ & ſuperinductæ fuerint: Inſuper vetuſtiſſimi uſus rara ſint nonnunquam monimenta, eam in conjiciendo perſpicacitatem & felicitatem nobis non arrogamus, ut rem acu ſemper tangamus, & à ſcopo nunquam recedamus. Id mali nobis imprudentibus ſæpe contigiſſe non dubitamus. Quapropter in rebus tam obſcuris & perplexis, ingenii noſtri tenuitate diffiſi conjecturas propoſuimus, decreta non pronuntiavimus. Si quandoque collineavimus, utatur, Lector, diligentia noſtra: Si aberravimus, ingenii noſtri tarditati, & infelicitati condonet, noſque humana paſſos humanitus corrigat. Saltem apud ſe cogitet velim, labore noſtro materiam illi eſſe congeſtam, qua in rebus obſcuris illuminandis tantillum adjutus eſt. Forſan antiqui alicujus moris circumſtantias particulatim diſcutientes conſequentia quædam eruimus quæ doctrinæ in Eccleſia vulgatæ & approbatæ principia lædunt. Hoc toto animo exhorreſcimus. Id tamen ſi nobis contigit, quod imbecilli ingenii noſtri conſcii non audemus planè diffiteri, illud, qualecunque ſit, ὀβελίζεσθαι non modo volumus, ſed etiam ſpongia deleri, & penitus è ſcriptis noſtris eradi & obliterari.

APPROBATIONES.
& Suffragia Doctorum.

EGo ſubſignatus Facultatis Theologiæ Pariſienſis Doctor legiſſe me teſtor librum cui titulus, *Commentarius hiſtoricus de diſciplina in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ, Domino* JOANNE MORINO *Congregationis Oratorii Presbytero authore*, qui antiquitatem & neceſſitatem utriuſque pœnitentiæ publicæ, ſcilicet & ſacramenti, ita eruit ex reconditioribus veterum authorum libris, ut ſine mutatione illius eſſentiæ varias obſervationes [illegible], pro diverſitate locorum & temporum exprimat, quæ omnia Congruunt fidei Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ, nihilque bonis moribus aut ſanæ doctrinæ repugnans continent, ſalva gratiæ medicinalis efficacia per ſe ad merendum invincibili & inſuperabili. In quorum fidem præſentibus ſubſcripſi. *Datum Pariſiis* trigeſima die Auguſti anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo primo.

CHASTELLAIN.

HActenus intentatum, ſed diu deſideratum opus laborioſo & erudito hoc volumine complevit doctiſſimus ſcriptor D. JOANNES MORINUS, *Congregationis Oratorii D. Jeſu Chriſti Presbyter*, antiquam diſciplinam *Pœnitentiæ Chriſtianæ*, & totam humiliſicandi hominis diſciplinam, quam ab incepto inquirit & explicat ex ſeria & diu exercitata ſanctorum Patrum lectione, ex Faſtis & ritualibus Eccleſiarum, ex epochis omnibus & [illegible] ſæculorum, ex Canonum & Conciliorum variante politia, ex græci diverſis locis & temporibus modo intermiſſa, modo reſtituta, ex ſcholiis & ſententiis veterum Scholaſticorum, denique ex abſtruſioris ignorationis linguæ & ſcientiæ Rabbinorum theſauris. Suſpicienda & laudanda ubique ab antiquitatis Theologis & Philologis rerum varietate, authoris doctiſſimi modeſtia, labore perpetuo, & conatibus Theologicæ non pœnitendis. Totum opus [illegible] legi, nec mihi legenti occurrit notaſſe aliquid pronunciatum aut aſſertum contra ſenſum Eccleſiæ Catholicæ, quod judicium manu mea ſignavi. Ego infra ſcriptus Doctor in ſacra Theologiæ Facultate Pariſienſi. Scripſi Pariſiis Kal. Julii an. 1651.

CHAPELAS, Cur. Ecl. S. Jacobi.

REverendus Pater, JOAN. MORINUS, Presbyter Oratorii Domini Jeſu, Vir Scripturæ Sacræ, & antiquæ omnis generis Doctrinæ ſciens, Hiſtoriæ verioris, & ſententiæ ad praxim melioris, ac prudentiorum, hoc Commentario ſuorum Hiſtoricorum erudito volumine, poſt multa alia, alias libris; Pœnitentiæ utriuſque, hoc eſt, virtutis, & Sacramenti, cordis, oris, & operis elenchum, & exegeſim, ex originali, aliiſque tam veteribus ſcriptoribus eruit, adverſus Novatores: adminiſtrationem quoque veterem ad pœnitentes, ex faſtis temporum adeo connexis collegit, pluſque Hiſtoria, & tam intus Commentariis illuſtravit: Neceſſitatem denique, & ſublimitatem ſententiæ, & oſtenſione ſpiritus, & virtutis, opportunè, importunè, in tanta doctrina arguit, atque increpat, adverſus impœnitentes, ut neque Novatores de Sacramenti inſtitutione, dubitent; neque pœnitentes, quam legem debeant, ſi veniam amant, neſciant; neque impœnitentes, niſi hanc egerint, aut ſimul omnia, ſi peccatum ignorent, aut excuſare excuſationes in peccatis ſuis, poſſint. Nimirum vir ſpiritus, & veritatis, hoc uno opere, arguit mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio: De peccato quidem Novatores, quia non credunt in Sacramenti veri inſtitutionem: De juſtitia vero, pœnitentes, quia ſola itur ad patrem, poſt lapſum: De judicio vero impœnitentes, quia princeps mundi hujus, & ipſis impœnitens, jam judicatus eſt. Ergo, Lector, hanc pœnitentiæ viam, hos legens libros, ne titubes, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum; quin potius, hic [illegible], cuſtodiet te in via, qua gradieris, & ſi agas, quam legis, pœnitentiam agas non pœnitendam. Hoc enim totum volumen noſtro judicio, non tantum nihil continet contrarium fidei orthodoxæ, aut bonis moribus, ſed magis bona ſunt, & vera omnia judicia ejus, & conſilia, & reſolutiones ejus. Hoc teſtimonium ego JOANNES ROUSSE, Doctor, & Socius Sorbonicus, Rector S. Rochi Pariſienſis [illegible], & ſcripſi, die 12. Septemb. an. Domini M. DC. quinquageſimo primo.

ROUSSE, S. Rochi Paroch.

PERMISSIO R. P. GENERALIS.

FRANCISCUS BOURGOING Congregationis Oratorii Jeſu Chriſti D. N. Presbyter & Generalis Præpoſitus, juxta Regium diploma datum 14. Julii 1641. quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab ejuſdem Congregationis hominibus compoſitos imprimant & venales exponant citra licentiam noſtram, cujus præter Doctorum Approbationem mentio fiat in dictis libris, permittit GASPARI METURAS, Pariſienſi Bibliopolæ, ut Librum qui inſcribitur, *Commentarius Hiſtoricus de Diſciplina in Adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ &c. Authore R. P.* JOANNE MORINO *Bleſenſi, Congregationis Oratorii D. N. Jeſu Chriſti Presbytero*, à Theologis noſtræ Congregationis examinatum, & à Doctoribus Facultatis Pariſienſis Approbatum, imprimere ac liberè divendere poſſit. Datum 13. Septembris, 1651.

FRANCISCUS BOURGOING.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre. A nos amez & feaux Conſeillers les gens tenans nos Cours de Parlement de Paris, Roüen, Thoulouſe, Bordeaux, Dijon, Aix, Grenoble, Rennes & Mets, Baillifs, Seneſchaux, Prevoſts deſdits lieux, ou leurs Lieutenans, & autres nos Juſticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Noſtre bien amé GASPAR METURAS, Marchand Libraire en l'Univerſité de Paris, nous à fait dire & tres-humblement remonſtrer qu'il luy a eſté mis és mains un Manuſcrit intitulé, *Commentarius Hiſtoricus de diſciplina in Adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ, tredecim primis ſeculis in Eccleſia Occidentali, & huc uſque in Orientali obſervatæ, in decem libros diſtinctus, &c. Authore* JOANNE MORINO *Bleſenſi, Congregationis Oratorii D. N. Jeſu Chriſti Presbytero*, pour iceluy faire imprimer : mais craignant que le faiſant imprimer, quelques autres Libraires ou Imprimeurs fiſſent le ſemblable à ſa perte & dommage, nous à tres-humblement requis nos lettres ſur ce neceſſaires, pour ce inclinans liberalement à la requeſte dudit expoſant pour aucunement le recompenſer des frais & miſes qu'il luy à convenu & conviendra faire pour l'impreſſion dudit Livre, avons permis & accordé, permettons & accordons audit METURAS ou à ceux qui auront droit de luy & non autres Imprimeurs, d'imprimer ou faire imprimer ledit Livre en tel volume & caractere qu'il verra bon eſtre durant le temps de dix années prochaines & conſecutives, à commencer du jour & datte que ledit Livre ſera achevé d'imprimer : Faiſant deffenſes expreſſes à tous Libraires, Imprimeurs & autres de quelque qualité & condition qu'ils ſoient, d'imprimer ou faire imprimer par autres Libraires ou Imprimeurs, tant de noſtre Royaume que hors d'iceluy ledit Livre, tronquer, abreger, ou extraire, vendre ny debiter en aucune ſorte que ce ſoit d'autre impreſſion que de celle qu'aura fait imprimer ledit METURAS, ou autres ayant droit de luy, ſur peine de confiſcation des Livres & Exemplaires qui ſeront trouvez avoir eſté imprimez & mis en vente contre & au prejudice des preſentes, ſoit en public ou en particulier, & de mille livres d'amende, applicable un tiers à Nous, un tiers au denonciateur, & l'autre tiers audit expoſant ou ayant droit de luy, à la charge d'en mettre deux emplaires en noſtre Bibliotheque & un en celle de noſtre tres cher & feal le ſieur Seguier Chevalier Chancelier de France. Voulons & nous plaiſt qu'en mettant un Extraict des preſentes à la fin ou au commencement de chacun exemplaire dudit Livre, elles ſoient tenuës pour ſuffiſamment ſignifiées & venuës à la connoiſſance de tous, comme ſi expreſſement & particulierement elles leur avoient eſté notifiées. Et parce que de ces preſentes l'on pourra avoir affaire en pluſieurs & divers lieux, nous voulons qu'au vidimus d'icelles ſignées par l'un de nos amez & feaux Conſeillers, Notaires & Secretaires foy ſoit adjouſtée, comme au preſent Original : SI VOUS MANDONS, & à chacun de vous en droit ſoy commettons que de nos preſentes, grace, congé & permiſſion, & du contenu cy-deſſus vous faſſiez & laiſſiez joüir ledit METURAS, ou ceux qui auront droit de luy, uſer plainement & paiſiblement, ceſſans & faiſant ceſſer tous troubles & empeſchemens au contraire. Mandons au premier noſtre Huiſſier ou Sergent de faire tous exploits de ſaiſies & arreſts ſur ce requis & neceſſaires pour l'execution des preſentes, ſans demander placet, viſa, ne pareatis, CAR TEL EST NOSTRE PLAISIR, nonobſtant toutes oppoſitions quelconques faites ou à faire, clameur de Haro, Chartre Normande, priſe à partie, & lettres à ce contraires, auſquelles nous avons derogé & derogeons par ceſdites preſentes. DONNÉ à Paris le 30. jour d'Aouſt l'an de grace 1651.

Par le Roy en ſon Conſeil,

OLIER.

COM.

COMMENTARII HISTORICI DE ADMINISTRATIONE SACRAMENTI POENITENTIÆ,

Ab

Apoſtolis ad uſque ſeculi duodecimi initium, tam in Eccleſia Orientali quàm Occidentali obſervata,

LIBER PRIMUS.

In quo agitur de Sacra Eccleſiæ in quibuſlibet peccatis remittendis aut puniendis auctoritate, & interioribus animi diſpoſitionibus ad remiſſionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam neceſſariò requiſitis.

CAPUT I.

De etymo & varia ſignificatione nominum, Pœnitentiæ & μετανοίας apud Latinos & Græcos auctores, ſacros & prophanos. Tertia pars Pœnitentiæ Græcis eleganter dicitur, ἐπιτίμιον, nec non recentioribus κανονικόν.

DE Pœnitentia verba facturi ab ipſo nominis etymo exordiemur: licet enim Pœnitentia Chriſtianis & Ethnicis vulgare nomen ſit, & nemini incognitum, circa tamen peculiarem illius ſignificationem, ſed Chriſtianis omnibus familiariſſimam, univerſus ferè labor noſter impendetur, & conſumetur. Quapropter quid nomine iſto Latini, quid Græci, Syri, & Hebræi diſtinctionibus ſuis, quibus hæc noſtra redditur, ſignificent, in ipſo operis limine videtur nobis breviter eſſe adnotandum. Gellius Aſinius, & Largius Licinius verborum penſitatores accuratiſſimi ſanè tum dici nos pœnitere
A docebant, *Cum quæ ipſi fecimus, aut quæ de noſtra voluntate, noſtroque conſilio facta ſunt, ea nobis poſt incipiunt diſplicere, ſententiamque in iis noſtram demutamus.* Ideo Ciceronem reprehendebant, ut refert Aulus Gellius lib. 17. cap. 1. quod in oratione pro M. Cœlio dixiſſet ſe nunquam tam acerbè laturum, ut ſeſe pœniteret non deformem eſſe natum: Neminemque rectè ita loqui, *Pœnitere ſeſe quod natus ſit; aut pœnitere quod mortalis ſit; aut quod offenſo forte, vulneratoque corpore dolorem ſentiat; quando iſtiuſmodi rerum nec conſilium ſit noſtrum nec arbitrium.* Hanc verbi ſententiam probat ipſe Gellius, & pœnitere niſi in voluntariis
B rebus non probè dici. Hæc eſt vulgatiſſima hujus verbi apud probatiſſimos quoſque auctores ſignificatio. Itaque Pœnitentia duo complectitur, conſilii ſive ſententiæ mutationem & animi dolorem propter factum aliquod inde conſequens. Tertium addi debet, quod ex utroque neceſſariò videtur emanare, cautio ſcilicet ne poſtea idem conſulat, aut exequatur. Vix enim aliquem facti ſeriò pœnitet, qui etiam ſibi non proponat ab eo in poſterum abſtinere, & incommoda ex priori conſilio & facto exorientia impedire, & à ſe avertere.

II. Lactantius lib. 6. c. 24. Inſtitutionum hæc

CODICUM MANUSCRIPTORUM,

POENITENTIALIUM,

SACRAMENTARIORUM,

Pontificalium, Divinorum Officiorum, Collectionum Canonicarum, & ejuſmodi librorum, qui diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectant, interiorem & exteriorem, nondum editorum.

E QUIBUS

TESTIMONIA OPERE PRÆCEDENTE PROMUNTUR.

Deſcriptio & enarratio.

Quorum nonnulli hic integrè, de cæteris verò excerpta Pœnitentiæ tam privatæ quàm publicæ illuſtrandæ conducentia, nunc primùm evulgantur.